



18.

19.

20.

21.

22.



1680.

18. Müllpford, Joh. Justinus: De aestimatione in genere
et in specie de justa

19. Müller, Petrus: De loco.

20, a, b, c, d, e. Mullerus, Petrus: De jure praegnantium
5 Sumpt. 1680, 1709, 1726, 1732, 1734.

21. Mullerus, Petrus: Collegiū publici ad tot. vel. Dig.
De diversis regulis juris antiqui partibus posterioris
putatio XIX.

22 ^{act} ₂ Mullerus, Petrus: De jocalibus. 2 Sumpt. 1680
2 1721.



1680, 21 8

COLLEGII PUBLICI

Ad

Titul. Ult. Digestorum.

DE

DIVERSIS

REGULIS JURIS

ANTIQUI

PARTIS POSTERIORIS

DISPUTATIO XIX.

Quam

PRÆSIDE

PETRO MULLERO

U. J. D. & Prof. Publ

ad d. Martij.

Exercitii gratia exponit

Georgius Adamus Behrmann /

Wichâ. Thur. Not. Publ. Cæsar.

JENÆ, Literis Müllerianis. 1680.



CLARISSIMO ATQVE CELE-
BERRIMO

VIRO

DN. M. JOHANNI Göpffern/
SCHOLÆ SENATORIÆ, QUÆ
NAUMBURGI AD SALAM FLORET,
RECTORI MERITISSIMO,
PRÆCEPTORI SUO QVONDAM FIDE-
LISSIMO.

UT ET

NOBILISSIMO AC AMPLISSIMO

DN. JOH. WILHELM. Struven/
SERENISSIMÆ VIDUÆ DUCIS
SAXO-JENENS &c. &c. &c.

SECRETARIO GRAVISSIMO,

EVERGETÆ SUO, IN ILLUSTRISALANADUM DEGERET,
BENEFICO,

DOMINIS PATRONIS ET FAUTORIBUS SUIS
DEVENERANDIS

PRÆSENTES DEREGULIS JURIS ANTIQVI PAGINAS
IN

GRATITUDINIS ARGUMENTUM,
DEBITÆ OBSERVANTIÆ SIGNUM,

ULTERIOREM QVE SUI COMMENDATIONEM
OFFICIOSE

OFFERT ET CONSECRAT

Georgius Adamus Behrmann/

Relp.

DISPUTATIO XIX.

LEX CXCIX.

Javolenus libro 6. Epistolarum.

Non potest dolo carere, qui imperio Magistratus non paruit.

Vide notata supra ad l. 167. §. 1. h. r. Quibus adde : Quod naturali dictante ratione *Roman. 13. v. 1. & seqq. 1. Petr. 2.* Honor, Reverentia, atque obsequium Magistratui præstanda sint, cum in eo civitatis decus & incolumitas custodiatur & conservetur *l. 2. ff. d. Just. & jur. l. 5. ff. d. jur. immun.* Crimen est ei resistere, dolo enim non videtur carere, qui Magistratui non paret *h. l.*

NOTABILE

Quando iussa Magistratûs tanta cum turpitudine non sunt conjuncta, sed saltem videntur esse iniqua, vel privata commoda lædenda, non statim deneganda est obedientia, quoniam ea difficilioribus etiam præstari debeat Dominis *1. Petr. 2. v. 18.* vid. Franc. Zoanett. *in tract. suo defens. part. 3. n. 46. usque ad fin.* Mundius *vol. 2. cons. 14. n. 51. cons. 27. n. 88.*

LEX CC.

Javolenus libro 7. Epistolarum

Quoties nihil sine captione investigari potest, eligendum est, quod minimum habeat iniquitatis.

Vulgo dici solet : *Ex duobus malis eligendum est quod minus* & Aristotel. *libr. 5. Ethicor. Nicom.* ait : *minus malum potius eligendum quam majus.* Scilicet accidere in multis controversiis potest, ut ab utraque parte probabilia se ostendant

Uu

argu.

argumenta siue intrinseca, siue ab aliorum autoritate. Grotius *d. jur. bell. & pac. lib. 2. c. 23. n. 5.* & tunc minus malum, docente Quintiliano, in tali electione rationem boni induit, & in comparatione malorum boni locum habet leuius.

Exemplum I

Est in *l. 9. ff. d. dol. mal. & met. except.* Ubi Procurator Rei si pecunia corruptus ab actore passus sit se vinci, Actor quidem actione iudicati agit contra reum, sed potest se reus defendere exceptione doli. Eo casu actor non potest pecuniam repetere à procuratore, quia iustius manet apud eum, qui decipi se passus est, quàm decipientem actorem.

Exempl. II

Est in *can. non solum caus. 22. qu. 4.* ubi dicitur: Quòd non solum in iurando, sed in omni, quod agimus, hæc est moderatio solertius observanda: ut si in talem forte lapsum versuti hostis inciderimus insidiis, ex quo sine aliquo peccati contagio fugere non possimus, illum potius evadendi aditum petamus, in quo minus periculi nos perpeffuros esse cerminus. Sic *David* iuramentum de occidendo Nabali, ejusque familia extirpanda, implere noluit. *c. juravis. d. caus. 22. qu. 4.* adde *hypomnem. nostr. d. Annulo Pronubo th. 17.*

Exempl. III.

Si quem hostis aggreditur, ut ille fugiens incidat in infantem vel cœcum, adeo ut nisi horum unum interficiat, ipsi fugienti sit pereundum, eo consilium casu in arena capere intermediumque, ne ipse confodiatur à persequente, innocentem transfedere potest. Modò alia evadendi via non apparuerit, cum ex duobus malis minus sit eligendum, & vitæ periculum quocunque modo declinasse magnum habeat favorem. *Osiander ad Gros. lib. 2. c. 1 §. 4.* *Dissert. Nostra. d. Philantia cap. 2. th. 14.*

NO.

NOTABILE I.

In Republicâ *Judaicâ* Deus divortium toleravit *Deut.* 24. 1. *Levit.* 21. 7. 14. non quidem per solam conniventiam, sed etiam per modum dispensationis ad vitandum homicidium Henriqvez *libr. 11. d. matrim. c. 8. n. 4. fol. 649.* Carpzov. *Jurispr. Consistor. lib. 2. def. 139.* & ne deterius quid, quod cum lege morali & proximi charitate non usquequaque congruit, ex odio inveterato, quod conjux erga conjugem alebat, exoriretur D. Gerhard. *in loc. d. Conjug. art. 2. c. 2. §. 595.*

NOTAB. II.

Præcepto Juris : *honestè vivere* non est contrarius concubinatus. Non enim leges rem tam turpem, foedam & inhonestam approbarunt. *c. hac ratione 31. qu. 1.* Id quod ex eo liquet, quod natos ex concubina, naturales duntaxat dixerit lex civilis ; honorifico legitimorum titulo eos nequaquam exornans §. *aliquando Inst. d. nupt.* Sed saltem permisit concubinatum majoris mali vitandi gratiâ *l. 3. & tot. tit. ff. & C. d. concubin. Nov. 18. cap. 5.* Respectu itaque alterius & majoris mali honestus & permissus habetur concubinatus : at habito respectu ad justas nuptias improbatur, & ut illegitima conjunctio & congressio habetur §. *1. Inst. d. patr. potest. & in pr. Inst. d. nupt. Coras. libr. miscell. cap. 3. n. 5.* Stephani *d. arte iur. c. 4. n. 11.* D. Hahn ad Wesenb. *tit. d. concubin.*

LEX CCI.

Javolenus libro 10. Epistolarum.

Omnia, quæ ex testamento proficiscuntur, ita statum eventus capiunt, si initium quoque sine vitio ceperint.

Vide supra notata ad *l. 29.* & infra notanda ad *l. 110. h. s.*
Quibus adde : Quod testatorem initiô testamenti conditi te-

standi jus habere oporteat, neque ideo, quia ex post facto seu tractu temporis restabilis esse cepit, testamentum sustineatur *l. 8. l. 19. ff. qui testam. fac.* Scilicet quod à principio utpote potissima parte cujusque rei *l. 1. ff. d. orig. jur.* substantia & robur æstimetur *arg. l. sed an uler. d. neg. gest.*

LEX CCII.

Javolenus libro n. Epistolarum.

Omnis definitio in jure civili periculosa est, parum est enim, ut non subverti possit.

PER definitionem alii *h. l.* intelligunt veram istam & logicam, quæ est oratio explicans quid sit id, quod definitur. Alii definitionem accipiunt pro regula juris, h. est, brevi quadam oratione & sententia, qua plurimum rerum breviter, summam & absolute fit traditio. Ex hac lege nonnulli existimant, juris nostri compilatores ex generum & differentiarum inopiâ non potuisse definitorum essentiam exhaurire, & eò minus exponere illas juxta præscriptum Logicorum. Verùm Jurisconsultus Javolenus in *h. l.* nihilo magis per definitionem ibi logicam, & in presso sensu ita dictam, sed potius axiomam, regulam, brocardicon (quod quidem cum juris regulâ ex omni parte non est idem, D. Eichel in *proleg. comment. ad h. l.*) intelligere voluisse verius est. Ita infert: Ut verò Simonem de Præis, Camillum Gallinium de Verb. S. Andr. Alciatum eod. Decium, Cagnolium, Bartolum & alios plures excusare non possum, qui minus crudè hanc regulam intellexerunt de definitione logicâ; ita contra voces eorum, qui exinde nedum aliis interpretibus, sed toti arti maculam quandam aspergere non verentur, non sunt ferenda, & postea allegans locum Aristotelis ita colligit: Ex quo loco satis convinci possunt illi, qui a deo scabrè & sinistrè de nostra arte olim & senserunt, & scri-

pse-

pferunt. Nescio quem ineptum sensum huic nostrae regulae
 quam minimè intellexerunt, attribuerunt, & post ex illà stoli-
 dā mente, quae ne per insomnium quidem Favoleno in mentem
 venit, nescio quam incertitudinem finxerunt, adco, ut Jaco-
 bus Zabarella non erubescat scribere: Jurisprudentiam ne ar-
 tis quidem nomen mereri. Verùm illi nihil aliud, quàm locum
 Philosophi reponimus: Unus quisque ea rectè judicat, quae in-
 telligit. Ast ne hanc regulam quidem, nedum Jurispruden-
 tiam, ab illo esse intellectam, verba ejus, quae in praecognitione
 log. est legere, satis evincunt. Hoc quidem non diffitendum
 est, quòd non omnes in jure definitiones undiquaque sint ab-
 solutæ & perfectæ, sed exinde non licet inferre: Non habentur
 in jure definitiones accurate; Ergò etiam hujus generis defi-
 nitiones non possunt haberi. Ab actu ad potentiam non valet
 consequentia. Generibus & differentiis æquè referta est juris-
 prudentia nostra, ac cœteræ Facultates; quod alibi dabitur de-
 monstrandi locus. Causæ autem, quænam sint, quare juris
 nostri Compilatores definiendi negotium non ubique confe-
 cerint amissitatum, variæ traduntur. Palmaria est, quod ter-
 mini adæquati deficient, sed admodum rarò, qui definiti vices
 possent subire. Quale fatum etiam cum aliis Disciplinis & Fa-
 cultatibus habet commune Jurisprudentia, atque sic non mino-
 ris est certitudinis; ratio rationis est in l. 4. d. præsc. verb. quia
 nimirum plura dantur negotia, aut potius res, quam rerum
 vocabula, totam illarum naturam denotantia. D. Struve Syn-
 tagm. jur. civil. exerc. 6. th. 31. & ex. 25. th. 2. Unde evenit,
 quòd Legum conditores in exprimendis rerum vel maximè
 simplicium, essentiis sæpius usi fuerint definitione seu potius
 descriptione quali quali. vid. D. Brandmüller J. C. Basileensis
 in differ. jur. civil. & can. p. 8.

Uu 3

Exem



Exemplum I.

Actio (quæ etiam petitio, conventio & lis vocatur) definitur, quod sit jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur. Quæ definitio variè à variis affligitur, uti videre est apud Interpp. *ad pr. Inst. d. action.* Quidam per vocem *jus* intelligunt formulam prætoris, veluti post Ultramontanos Wesenb. Vultej. *ad d. pr.* Forster *disp. 1. d. actionib. th. 1. lit. B.* & Hunnius *var. resolut. ad Instit. lib. 4. qu. 3.* quibus verò respondet Timæ. Faber *disp. 27. ad Instit. th. 1. lit. B.* Alii res incorporales ut Zas. hîc. Alii jus civile & prætorium, ut Accurs. *d. l.* Nonnulli causam ut Placentin. *ad d. pr.* Rectius verò hæc vox per facultatem seu potestatem agendi legitimam, seu jure tributam explicatur ab Harprecht *ad d. pr. n. 10.* Actio enim hîc consideratur ut in personam creditoris radicata, non ut actu intentata. Bachov. *ad Treutl. disp. 1. th. 25.* Porro notandum in hac definitione, quòd *debendi* vox latè intelligenda veniat, ut omnem omnino actionem comprehendat. Et licet res nostra propriè nobis non debeat *l. 34. in pr. ff. d. aur. & arg. leg. debetur tamen ejus restitutio l. 9. §. 68. ff. d. R. V.* non quidem obligationis, sed actionis jure. Nov. 4. c. 2. Donell. *ad d. pr. Instit. n. 10. & 19.* ibique Hilliger.

Exempl. II.

Tutela à Jcto in l. 1. ff. d. tutel. & §. 1. Inst. eod. definitur *vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per aetatem suam spontè se defendere nequit, jure civili data ac permessa.* Quæ definitio quàm variè à DD. hinc inde vexetur, quàm sæpissimè vel de non rectè constituto genere, vel de superfluitate accusetur, nemini non patet. Salvari verò potest hæc definitio, quoniam continet totam substantiam definiti totiusque materiz & formæ tractationis tutoriz scriem Petr. Gregor. Tholos. *Syntagm. jur. univers. part. 2. lib. 11. c. 2. pr.* Gutierrez.

rez. tract. d. tutel. p. 1. c. 1. n. 1. quippe constituta est Genere
 & Differentia Specifica. Generis loco rectè ponuntur verba
vis ac potestas. Quæ ita applicanda sunt, ut simul sumta non
 violentam aut tyrannicam vim ac potestatem cum Accursio,
 sed amicabilem & dispositivam defensionis ac administratio-
 nis facultatem cum Mynsinger. *ad d. §. Instit. & Arumæo*
exerc. 3. tb. 1. significant. Talem scil. potestatem favorabi-
 lem, quæ in piâ defensione potius, quàm in atrocitate consi-
 stat; & quatenus illa vis ex lege proficiscitur, & non in alium
 translata, sed ipsi personæ tutoris insita consideratur Bachov.
ad Treutl. vol. 2. disp. 8. tb. 1. lit. B. Potestas verò, quæ ex
 jure tutoribus conceditur. Ut ita vis accipiatur pro virtute &
 efficacia juris, & potestas pro autoritate & facultate Gutierrez
tract. d. tut. part. 1. c. 1. n. 1. Ut sensus sit: Tutela est facultas pro
 autoritate quid faciendi statuendive cum in persona pupilli,
 tum in rerum pupillarium administratione. *Differentia speci-*
fica desumta est ab *Objecto, Fine & Causa efficiente.* *Objectum*
 explicatur per verba *in capite libero,* quæ ut ad pupillum re-
 feramus, magis est, quàm ad tutorem. *Finis* principalis tu-
 telæ constat in verbis: *ad tuendum, eum qui per aetatem suam*
spontè se defendere nequit. Quæ verum tutelæ officium &
 simul causam tutelarum impulsivam continent. Hinc dicti
 tutores quasi tutores *l. 1. §. 1. ff. de tutel.* hoc est defensores *l. 2.*
ff. qui pet. tut. Ex verbis finalibus: *jure civili data ac permessa*
 apparet *causa efficiens.* Quæ verba cum Vultejo *ad §. 1. Inst.*
 minimè rejicimus, moti præcipuè eo, quòd causæ efficientes
 accidentium definitiones rectè ingrediuntur, vid. Keckerm.
lib. 6. syst. logic. c. 2. Neque inusitatum est Imperatori defini-
 tiones plerumque à causa efficiente & constituyente tradere. *arg.*
§. 4. Inst. d. jur. nat. gent. & civil.

Ex.

Exempl. III.

Definitio Testamenti in l. i. ff. qui testam. fac. poss. scil. quod sit voluntatis nostra iusta sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, à variis oppugnatur, at defenditur ab Arumæo exercit. 7. th. 2. qui videatur.

Exempl. IV.

Definitio furti in §. i. Inst. d. obligat. qua ex delict. nasc. quod sit Contractatio fraudolosa, lucri faciendi causâ, vel ipsius rei, vel etiam usus eius, possessionisve quod lege naturali prohibitum est admittere à nonnullis quidem impugnatur, à Manzio tamen in comment. ad §. n. 4. vocatur præter morem Jctorum pulcra vid. ibi istius definitionis explicationem.

NOTABILE I.

Definitiones nimis subtiles in rebus studiisque practi- cis non adhibendæ sunt, vel si adhibentur, non nisi præter indolem rerum practicarum moremque apud Jurispru- dentiam professos usitatum, adhibentur. Eas non obser- vari, sed exterminari etiam subtilitatum ludibria iussit Impe- rator in l. un. C. d. aud. jur. quir. toll. Bene ergo Bœclerus: Si quis in præceptis & ad regulas Logicorum quædam præceptionum su- perstitione velit alligari, præcipuum totius instituti decus a- mittet.

NOTAB. II.

Regulæ juris periculosæ sunt propter exceptionum multitudinem, quæ regulam vitiant vid. l. i. b. t. Attamen Regulas quasdam, à quibus nulla dari possit exceptio sed per- petuò obtineant, extare asserit Placentinus ad b. l. §. 1. 70. b. t. uti sunt hæ: Invitus nemo procurationem suscipere cogi- tur l. 17. C. d. procur. l. 56. d. R. J. Item: Liberum corpus non recipit æstimationem l. 3. si quadrup. pauper. sec. Bron- chorst. ad b. l.

LEX

LEX CCIII.

Pomponius libro 8. ad Quintum Mutium.

Quod quis ex sua culpâ damnum sentit, non intelligitur damnum sentire.

Vide supra notata ad l. 46. h. t. Quando quis quid fieri omnino vult, & ut planè fiat consentit, eo ipso juri suo cedit, ut ei injuria fieri non possit. Volens autem hoc loco dicitur, quasi imputativè, qui quidem nec sponte suâ & sciens, nec invitè, sed ex imprudentiâ vel negligentia suâ sibi ipsi damnum infert. Generaliter enim dicitur in h. l. quod quis ex suâ culpâ damnum sentit, non intelligitur sentire, ac id sibi non aliis imputare debeat c. 86. d. R. J. in 6t.

Exemplum I

Cùm frumentum in solutum cessum esset, ut si die dicto non solveretur debitum, venderetur, & pretium in creditum acciperetur, non factâ solutione si quærat, quia pretia varia sunt, nec in eadem quantitate diu consistunt, cujus temporis æstimatio attendenda sit, & quam creditor sibi imputare debeat? Resp. Hujus faciendæ tempus esse diem traditionis, quo creditor accipere intelligitur, & vendere potuit, quanti frumentum valuit, ideo quanti tunc vendere licuit, ipsi non injustè erit imputandum. Contingens casus Creditoris periculo atque detrimento est, & quod ex pretio frumenti decrescit, sibi acceptum ferat, dum citius non vendidit. Quod enim ex sua mora quis sentit damnum, ipsemet ferat, nec alteri imputare debet h. l. Mevius part. 6. decis. 310.

Exempl. II.

Si equus commodatus ad longum iter absque culpâ ejus qui commodatò accepit, in ipso itinere deterior est factus, in culpâ est is, qui in tam longum iter commodavit, nec alter tenetur commodati l. fin. commodat.

XX

Exempl.

Exempl. III.

Quamvis id, quod maritus in rem communem impendit, & quos sumtus ex causa societatis facit *l. 38. pr. & §. 1. l. 67. §. pen. ff. pro socio.* aut per causam societatis in rebus gerendis, etiam de propriis amisit, uxor pro parte suâ agnoscere debet *l. 52. §. 4. l. 61. ff. eod.* Secus tamen est in iis, quæ maritus per delictum proprium amittit, condemnatusve solvit *d. l. 52. §. ult. l. 59. §. ult. ff. pro socio.* tunc licet mariti bona confiscentur, uxor tamen non solum propria bona salva, sed etiam partem suam, de acquisitis debitam, nihilominus retinebit *Gail. 2. obs. 86. n. 14. ibique Græv. n. 30. Gars. d. conjug. acquæst. n. 65. Joachim Scheppliz part. 3. tit. 2. §. 24.*

Exempl. IV.

Quamvis impeditus regulariter excusatur *c. quia diversitatem 5. X. d. concess. præcend.* Si tamen impedimentum culpâ suâ supervenit, sive quando quis causam dedit impedimento, non excusatur *Card. Tusch. lit. 1. concl. 29. n. 33.*

Exempl. V.

Quamvis afflictio non debeat addi afflictio, *l. 14. ff. d. offic. præsid.* Si tamen afflictio venit ex culpa afflicti, puta propter ejus delictum, ei non parcitur *Gail. l. 1. obs. 18. n. 1.* Unde pauperibus, quorum favor aliâs magnus est, non est favendum in judicio cum ulla adversarii injuria, quod enim quis suo aut fato aut culpa sustinet malum, sibi imputare debet, *Mevius p. 2. dec. 278.*

Exempl. VI.

Debitor quidem cedere potest bonis, ad evitandum carcerem tædii; Si tamen ex dolo vel culpa suâ pauper est factus, perdit beneficium cessionis *l. ult. §. ult. ibique Bart.*
&

Bald. ff. *qua in fraud. cred.* Nam in genere, qui sua culpa pauper est effectus, pauperum privilegio non gaudet *arg. l. pen. ff. d. jur. dot.* Reyger. *in thesaur. lit. P. n. 406.*

Exempl. VII.

Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat, quidam præteriens eam sustulerat; Tabernarius eum consecutus lucernam reposcebat, & fugientem retinebat: ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolon (id est flagellum intra cuius virgam latet pugio) inerat, verberare tabernarium cœperat, ut se mitteret; ex eo majore rixa facta, tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat. Consulebat, num damnum injuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset? Respondi, nisi data opera effodisset oculum, non videri damnum injuriâ fecisse, culpam enim penes eum, qui prior flagello percussit, residere: Sed, si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus esset, tabernarii culpa factum videri, respondet Alphenus in *l. 2. §. 1. ad L. Aquil.*

Exempl. VIII.

Qui in fundo alieno scienter ædificat, ædificium perdit §. 30. *Inst. d. rer. divis.* quia ejusmodi ædificator præsumitur donare *l. 7. §. 12. ff. d. acquir. rer. domin.* Besold. *in delib. jur. ex libr. 41. ff. qu. 3.* & sibi imputet, quod ita ædificaverit, *per h. l.* Philipp. *in us. pract. Inst. lib. 2. eccl. log. 12.* & ita responderunt Jcti Lipsienses anno 1620. in causa der **Bürgerschaft zu Landeshut P. P.** Darumb bemeldter *Sempronius* wol gewust / daß der Ort / darauff er Haus und Hoff / von allerhand ihnen zuständigen und dahin geschafften Materien gebauet / nicht sein / sondern des Spitals und gemeiner Stadt Eigenthum were / und er gleich wol also wissentlich auff eines andern Grund und Boden

Ex 2

setz

seinen vorgenommenen Bau ungebührlichen vollbracht / so bleibet solches auff angedeuteten Ort gesaktes Gebäude dem Spital und gemeiner Stadt billich / welche sich desselben anzumassen wol befugt sind.

Exempl. VIII.

Inimicitia excusat Vasallum, si infra annum & diem non petat investituram, *per cap. 1. quo temp. mil.* quando verò inimicitia est culpâ Vasalli orta, non excusat Schneidevv. *epit. feud. cap. 1. n. 45.*

Exempl. IX.

Vasallus factus inimicus Domino feudum amittit Schneidevv. *n. 171.* Excusatur tamen, si culpâ Domini inimicitia extiterit, Idem *n. 173.*

Exempl. X.

Si plures sunt dati pupillo tutores, & unî ex illis administratio est commissa, hic satisfacere tenetur. Si igitur tutor administrans bona pupilli dissipet, ille verò ab hoc sumum, quia solvendo non est, iterum consequi nequeat, contutores reliqui in solidum tenentur; sibi enim imputent, quòd à contutore non satis exegerint, aut si potuerint, eum suspectum non fecerint *l. 2. in fin. ff. d. magistr. conven. l. 3. §. 2. l. 14. ff. d. admin. & peric. tue.*

Exempl. XI.

Qui patitur rem ab altero usucapi, id suæ negligentiae adscribendum habet, qui enim res suas tamdiu non curat, efficit, ut non sine omni ejus facto dominium usucipienti adjici videatur, vix enim est, ut non alienet, qui usucapi patitur *l. 28. ff. d. V. S. l. 16. ff. d. fund. dot. & damnum quod quis sua culpa sentit, sentire non intelligitur h. l. 203.*

Exempl. XII.

Legata, post aditam hereditatem ab herede statim
sunt

sunt præstanda *arg. §. 1. Inst. d. legat. l. 71. §. 3. ff. d. legat. l. 16. Inst. cod. l. 26. §. 1. & l. 47. §. 2. ff. d. leg. 1.* Sibi ergò heres damnus hoc duplicatum imputet, h. e. tabulis suis pro accepto inferat moram admissam, eamque cum iterata legati præstatione compenset.

Exempl. XIII.

Quando quis administratoribus civitatis, qui totam universitatem non repræsentant, & quibus solum Reipubl. gubernandæ cura commissæ est, mutuam pecuniam dederit, civitatem, nisi probet pecuniam in ejus utilitatem esse versam, non habet obligatam. *l. 27. ff. d. Reb. Cred. l. un. C. d. solut. & liberi deb. civ. lib. 11.* D. Richter *decis. 71. n. 1.* imputet igitur sibi creditor, quòd non versatus fuerit cautiùs.

Exempl. XIV.

In commodantis voluntate iniriò positum est, modum finemque præscribere, quod si hoc fecerit, ac rem postea commodaverit, eandem ante usum finitum intempestivè commodatario minimè auferre potest. Et si quòd damnus sentit, suâ culpa id sentit. Imputet ergo sibi, quòd contractum istum inierit; Scire enim potuit, ea, quæ ab initio sunt voluntatis, ex post facto fieri necessitatis. *l. 17. §. 3. ff. commodat. D. Strauch. diff. 13. t. h. 13.*

Exempl. XV.

Quando quis chirographo dato fatetur, se certam pecuniæ summam accepisse, quam tamen non accepit, oritur inde actio seu conditio ex literis, quæ tamen intra biennium per exceptionem non numeratæ pecuniæ elidi & retractari potest *text. est in §. un. Inst. d. liter. obl. l. 8. 14. C. d. non num. pec.* Tempore autem hoc præterlapso non am-



plius auditur, sed ad solutionem strictè tenetur, ac condemnabitur tanquam verus sit debitor D. Strauch. *diff. 14. th. 22.* sibi enim debet imputare negligentiam suam, quòd tanto tempore silentium adhibuerit. Moribus tamen exceptio non numer. pec. admittitur, quæ tamen non est ita privilegiata, ut creditor teneatur probare factam fuisse numerationem, sed ut debitor eandem probare cogatur Carpz. *p. 1. c. 32. d. 66.*

Exempl. XVI.

Non valenti agere non currit tempus præfixum ad agendum; Si verò non potest agere, quia voluit, omninò currit præscriptio, quia culpa præcedens casum non excusat Card. Tusch. *lit. 1. conclus. 29. n. 39.*

Exempl. XVII.

Cedens præstare tantum debet, ut sit verum nomen, i. e. rem verè deberi, seu debitorem esse obligatum, non autem ut exigibile sit, seu exigi possit, vel debitorem esse locupletem *l. 74. §. fin. ff. d. evict. l. 4. ff. d. hered. vel act. vend.* Si itaque debitor non fuerit solvendo, cessionarius sibi imputet, quòd non diligentius in conditionem debitoris inquisiverit, damnum quod exinde sentit, culpâ suâ sentire videtur.

Exempl. XVIII

Si quis exsequitur mandatum, non debet excedere fines ejusdem *§. 8. Inst. d. mand.* Quòd si aliter fecerit, & forsàn pluris emerit, tunc quoad limites præfixos tantum contrario mandati judicio mandantem habet obligatum *l. 4. l. 22. pr. & §. 1. l. 33. ff. mand. ultra verò nec negotiorum gestorum actio ipsi competit, l. 40. ff. eod.* Sibi imputet, quod aliud quid egerit, quàm quod ipsi mandatum sit D. Struve *Synt. jur. civ. exerc. 22. th. 12* Vinnius *ad §. 8. Inst. pmand.*

d. mand. Carpz. p. 2. c. 20. d. 11. & ita responderunt Jēi Lip-
pienses, Es ist aber T. M. weil er seinem eigenen Bekändt-
nis nach / das Geld nicht in die Glas Krumpen / inmassen
er befehliget gewesen / sondern in einen Korn mit Korn ge-
steckt / und also die *fines mandati* würcklichen überschritten /
C. L. den Schaden zuerstattten schuldig.

Exempl. XIX.

Si putator ex arbore ramos dejiciens proclamaverit,
transiens autem non curet clamantem, atque ita damnum
accipiat, non tenetur putator l. 31. ad L. Aquil. Ludov.
Molin. tom. 1. tr. 1. d. Just. & iur. disp. 10.

Exempl. XX.

Actio de dolo, cum sit famosa, tunc demum oritur,
si alia civilis actio non competat l. 1. §. 4. l. 7. §. 4. ff. d. dol.
mal. Si quis verò aliam habuerit, eamve tempore & qui-
dem culpâ suâ amiserit, tamen actioni de dolo non erit
locus D. Struv. *Sytagn jur. civ. exerc. 8. th. 30.* debet potius
sibi imputare, quod non egerit maturius; quia jura vigi-
lantibus scripta sunt, l. 24. in fin. ff. *quæ in fraud. credit.*

Regula Limitatur

Quando culpa potest imputari participativè,
tunc non ipse solùm, qui in culpa est, sed etiam
alius damnum sentit.

Sic socius pœnam agnoscere tenetür ob delictum so-
cii, quando scienter participavit de eo, quod per malefici-
um fuit acquisitum, ita ut socius ob communicationem lucri
particeps factus fuerit causæ, propter quam damnum in-
geritur. Proinde alteri socio non potest objicere hanc re-
gulam, quæ aliàs locum haberet, si socio in sciente alter ex
male-

maleficio quid contulisset *l. 52. §. fin. l. 55. ff. pro socio.* Gunzel. ad *h. l.*

NOTABILE I.

Incendio causato, ut evitetur periculum in tota vicina, potest una domus in totum demoliri pro salute viciniae, ad cuius refectionem omnes vicini contribuere tenentur, sicut fit pro salvanda nave, quando merces projiciuntur Card. Tusch. *lit. l. conclus. 63. n. 1.* Quando verò incendium est ortum culpâ aut negligentia certae personae, contra eam duntaxat debet agi, non contra vicinos Idem *d. l. n. 2.*

NOTA B. II.


Si quadrupes pauperiem fecerit, datur actio domino rei, in qua pauperies facta, vel cuius interest *l. 2. ff. si quadr. pauper. fec.* adversus eum qui dominus quadrupedis erit; nam in quadrupedibus noxa caput sequitur, quemadmodum in hominibus: ut adversus dominum hæc actio detur, non cuius fuerit quadrupes cum noceret, sed cuius nunc est cum agitur *l. 1. d. r.* ut aut noxæ dedat, aut damni æstimationem solidam præstet *d. l. 1. §. 7.* De jure Saxonico Dominus qui recipit noxiam quadrupedem indistinctè tenetur Wefenb. *in paratit. si quadrup. paup. n. 6.* Cessant autem actiones propter pauperiem à quadrupede factæ, si culpa nostrâ animal damnum dederit D. Hahn ad Wefenb. *d. l. n. 4.*

LEX CCIV.

Pomponius libro 28. ad Quintum Mutium,

Minus est actionem habere, quàm rem.

Vide supra notata ad *l. 15. h. r. Notab. l.* Quibus adde: Quòd sæpè accidat, ut licet ipsa persecutio, quâ actor experitur, in se præcisè spectata & in thesi, vel in abstracto, vel in genere loquendo, vel summo jure civili inspectò, justa sit; In hypothese tamen iniqua sit adversus eum, cum quo agitur *princ. Instit. d. except.* ibique Manzius.



Ad Prestantissimum Dominum Behrmannum.

Robore præstantes *ursi* si prælia miscent,
Sæpè domant hostes atque trophæa
ferunt.

Dotibus ingenii magnis, & robore mentis
Vincere Te in cathedra sic quoque posse scio.

l. m. q. f.

Henr. Balth. Roth/ D. P. P.
p. t. Rector.

Dum Regulam illustras exemplis jure probatis,
Te Regulas Juris sat didicisse probas.

*Eximio Dn. Behrmanno Amico suo dilecto
de egregiis in Jure profectibus gratula-
tur ex animo*

Joh. Christophorus Saldner/D.
Pandect. Prof. Publ.

Scazon.

Nullum superbò respuit Themis vultu,
Comes Tonantis, neminem foras trudit,
A quo se amari credit & coli cernit.
Non illa censet censet aut Parentum ortu,
Sed laude morum, sed labore constanti
Suoque tantum propriò virum librat.

Aus

Ausi ergo felix, gnave Jurium cultor,
BEHRMANNE sanctæ limina hujus Astrææ
Quod ritè adisti, gloriaque quod lætas
Licuit Tibi carpisse in incluto illius
Primas palæstræ cum Audientium plausu.
Audaçter euge! perge rursus urgere,
(Quod agis) Themis Tuam Tibique fautricem
Magis labora reddere impigronisus.
Amata amabit illa crede cultorem
Suum vicissim Te, suoque, quod spero
Precorque! fructu liberalis ornabit.

Gratul. scrib.
P R Æ S E S.

DEBITA qui studio Themidos conamina reddit,
Et multò Libros volvit amore bonos;
Is sibi, ceu noster BEHRMANNUS, Nomen in orbe
Virtutis cumulat, necit Honoris opus.

*Hac Praclarè docto Dno. Behrmanno, Not. P.
Cas. Amico suo de Regg. Juris disputaturo
boni ominis causâ adsc.*

Casparus Qvestelius, Ducalis
Saxo-Numburg Advocatus Ordin.


EXULTANT Musæ, divina Astræaque gaudet,
Dum TU defendis Justitiæ hæc theses.
Maçte! Themis pergis docto conamine sanctam
Amplificare: TIBI hinc gloria magna manet.

*In honorem Praclariss. Dni Respond. Amici fratris instar
dilectissimi cum omnigena felicitatis voto pos.*

Christianus Fridericus Luhn, LL. Stud:







ULB Halle


3


006 682 103



Kont







1680, 21 8/10

COLLEGII PUBLICI
Ad
Titul. Ult. Digestorum.
DE
DIVERSIS
REGULIS JURIS
ANTIQUI
PARTIS POSTERIORIS
DISPUTATIO XIX.
Quam
PRÆSIDE
PETRO MULLERO
U. J. D. & Prof. Publ
ad d. Martij.
Exercitii gratia exponit
Georgius Adamus Behrmann /
Wichâ. Thur. Not. Publ. Cæsar.

JENÆ, Literis Müllerianis. 1680.

